



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.


Res. 1. Cum Concilium Tridentinum asserat sess. 24. cap. 17.
Sacramentum tribus perfici, materia, forma, & intentione Ministri, & cum
intentio sit triplex, habitualis, virtualis, & actualis, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



TRACTATUS PRIMUS DE SACRAMENTO BAPTISMI.

SED IN PRINCIPIO HUIUS TRACTATUS
paucæ prius Resolutiones ad omnia Sacramenta in genere
adscribuntur.



RESOL. I.

Com Concilium Tridentinum asserat sess. 24. c. 17.
Sacramentum tribus perfici, materia, forma & in-
tentione Ministri: & non intentio sit triplex, habi-
tionalis, virtualis & actualis; quaritur quænam sit
sufficiens ad valide conficiendum Sacramentum?
Ex p. 2. tr. 17. & Miscell. 3. Ref. 32.

legit que
line con
tinetur in hac
libro to. 3.
m. 3. lege
ad hunc
l. 1. & si
p. 1. & si
lib. 1.



MNES Doctores asserunt
intentionem habituales non
sufficere, sed virtuales re-
quiri, & actualem non esse
necessariam; discordant ta-
men in assignando quænam
intentio virtualis sufficiat.

2. Prima sententia est Valentis, tom. 4. disp. 3.
q. 5. punct. 3. vers. Intentio autem implicita, & Hen-
riq. in sum. lib. 1. c. 10. n. 2. ubi ait, Intentio virtualis
dicenda etiam est illa, quæ quamvis non videatur
fluxisse ex efficaci vi, vel motivo primæ intencio-
nis, aut quia licet nunquam habuit intentionem
sic explicitam; Volo facere quod Ecclesia Roma-
na intendit, & quod Christus instituit: habuit ta-
men consensum, ut si quis Ordines sacros suscipit,
ut fiat Sacerdos, & Minister Ecclesiæ, & absque
alia forma intentionis, (si nunquam habuit con-
trariam) consuevit celebrare, & ministrare sacra-
menta, etiam cum distractione mentis, hic enim
conficit Eucharistiam, & alia sacramenta. Hæc
Henriquez.

3. Secunda sententia, est communiter omnium
aliorum DD. qui asserunt, intentionem virtuales
necessariam ad sacramentum illam esse, quæ actu
transiit, & virtute manavit ex impressione in ima-
ginativa relicta ex primo proposito, quo quis hu-
mano modo ad agendum se applicuit; qua excita-
tur potentia motiva, ut actus initio propositos (qui
primum actum immediatè sequuntur, aut cum eo
saltem mediatè connexi sunt) perficiat, homine in-
terim alia omnia cogitante, donec actu aliquo con-
trario interturbetur. Ut, v. g. incipit quis sacrum
intendens celebrare, & postea totum sacrum omni-
no distractus ordine suo perficit, hic habet inten-

Tom. 1.

tionem virtuales; nam in illa Missa omnes illæ
actiones, à prima illa intentione verè secundum mo-
dum agendi humanum procedunt ratione imagina-
tionis, quam prima illa voluntas applicavit; sic
Coninch. de Sacram. q. 64. art. 8. dub. 2. n. 71. Cabrera
de Sacram. q. 64. art. 8. disp. 1. §. 5. n. 41. Valq. in 3. p.
tom. 2. disputat. 138. cap. 6. Pesantius in 3. part.
q. 64. art. 8. disp. 2. Molfes. in sum. to. 1. tr. 3. c. 4. n. 11.
Nugnus in 3. p. tom. 1. q. 64. art. 8. Bonac. de Sacram.
disp. 1. q. 3. punct. 2. §. 3. n. 11. Suar. in 3. p. tom. 3.
disp. 13. sect. 3. Camerota de Sacram. tr. 1. c. 2. q. 7.
Summa Corona p. 4. cap. 4. n. 56. Antonius de Lira
teratis in sum. part. 1. c. 23. n. 15. Fernand. in suo
exam. Toeol. p. 3. c. 1. §. 4. n. 6. & alij.

4. Tertia opinio est Valerij Reginaldi in praxi,
tom. 2. lib. 26. c. 3. n. 38. qui posuit duplicem inten-
tionem virtuales sufficientem ad conficiendum sa-
cramentum, uno modo, ut explicatum est in secun-
da opinione; altero modo, ait ille, intentio virtua-
lis dicitur, quæ ex natura sua, vel ex Ecclesiæ insti-
tutione comprehenditur sub altera intentione, cum
qua sic conjuncta est, ut ea præsentè, censetur ip-
sa quoque adesse. Illa scilicet ratione, qua votum
castitatis ita comprehenditur sub diaconatu, ut eo
ipso, quod quis vult ad hunc promoveri, censetur
velle consentire in votum perpetuæ castitatis
servandæ. Sic igitur eo ipso, quod sacerdos vult
secundum sacerdotum consuetudinem induere ves-
tes sacerdotales, habet virtuales intentionem ce-
lebrandi Missam. Quia enim induere vestes sacer-
dotales, medium est ab Ecclesia institutum ad Missæ
celebrationem, fit, ut in tali actione induendi, com-
prehendatur virtualiter actio celebrandi, & in in-
tentione induendi intentio celebrandi, donec adhi-
beatur actus contrarius, per quem hæc tollatur.
Atque hujusmodi quoque intentionem virtuales
ad sacramentum sufficere dicendum est, alioquin
facendum erit multos sacerdotes non consecrare,
nec alia sacramenta conficere. Ita Reginaldus. Quid
sentiam, dicam breviter. Prima opinio Henriquez
videtur mihi nimis laxa; secunda opinio est proba-
bilior; tertia Reginaldi est probabilis, quam qui-
dem si amplectantur sacerdotes, ex multis scrupu-
lis, quibus angere solent, liberi immunisque erunt.
Salva semper, &c.

A RESOL.